

ceptare promissum is non possit; prout dedit Dn. Pufendorf. Ill. 6. 10. & 12. Jam vi intentata à latrone ad jurandum inducti neque Deo promittimus, neque dicimus, in honorem & gloriam divini nominis latroni dabimus. Quod si tamen tale quoque Jusjurandum habere vim voti quis putaverit, cum votum non stringat, nisi presumatur acceptari, unde constabit, Deo probari, ut innocens se bonis suis spoliet, & illa in impium nebulonem conferat, ne ille gratis sceleratus fuerit. Ne vero Numinis honor deinceps minoris sit apud latronem e-jusmodi juramento neglecto, non videtur metuendum; cum is ipso vita genere satis ostendat, quanti Deum faciat, D. Pufendorfius cit. l. Tandem unde probabitur jura-menta sustinere posse promissionem, quæ in se & vi pro-pria non subsistat; seu dari promissionem, quæ obligatio-nem à solo juramento tanquam *radice* accipiat? Semper enim (ut supra §. 8. dictum est) dum juramus, supponi-mus aliquid, quo præstari neglecto divinam vindictam in nos deposcimus. Quod ineptum esset, nisi illicitum foret, non implere id, quod simpliciter & sine juramen-to promitteretur. Et sane si juramento, quæ tali, vis in-est sustinendi invalidam promissionem cui accessit nihil cauſæ est, cur circa actus alios invalidos, & qui per leges Naturales non subsistunt, Jusjurandum idem operari non possit. Nec apparet, cur heic saltem non expiret obligatio, quæ alioquin sane cessat, quotescunque in eo, cui promittitur, vitium est, quo minus is promissum acceptare valeat. Nimirum ubique distingvas licet inter promissionem simplicem & juratam, nemo ta-men dixerit, si jurato promisisses innocentem occi-dere, validam esse promissionem ideo, quod sit jurata. Quin & fatentur, non teneri, qui vi coactus latronibus silentium jurato promisisset, quod illicitum sit de im-minente periculo non admonere proximum, & culpa non ca-reat, qui scit & non prohibet, cum prohibere possit. Atqui

B

quem-